



DE · VITA
DIVI. PETRI
APOSTOLI

A M. Antonio Georgio Bononiensi, Archipresbytero S. Mariæ Rotundæ, S. D. N. Gregorij XIII. Capellano congesta,

BEATISS. SEMPER VIRGINI MATRI DEI MARIAE DICATA

ET GREGORIO XIII. PONTIFICI SANCTISS.mo COMMENDATA.









ROMÆ,
Apud Hęredes Antonij Bladij Impressores Camerales

DE VITA
DIVI PETRI APOSTOLI

A M. Antonio Georgio Archipresbytero
S. Mariæ Rotundæ congesta.

PETRVS, cui nomen antea Simon Bariona, filius scilicet Ionę (Bar enim Hebraice filium significat) non illius Ionæ qui de uentre ceti et mare fuit ad terrendum missus, et prædicandum Niniuitis; sed alterius de oppido et uico regionis Palestinæ Bethsaida, iuxta mare, idest prope lacum, qui ob ingentem aquarum concursum, et magnitudinem mare dicitur prouinciæ Galileæ; Petrus, inquam frater Andreæ, minor natu, ualidior tamen, et ut animi fortitudine uniuersos antecederet, et religione esset et pietate nemini secundus, ita et se, et parentes, et familiam, et pauperes continuatis iustissimę piscationis laboribus, et arte sustentabat, laboribus, inquam, et arte usq; adeo plenissima pietatis et iustitię, ut post etiam uocationem et apostolatum ad eam redire, et eo præsente qui uocauerat, et imperante exercere liceret. Andreas uero natu (ut diximus) maior, licet et ipse cum fratre, eandem exercere et artem, et rei operam daret; Ioannis tamen Baptistæ discipulus, eundem etiam summa religione, et pietate sequebatur. A quo de Messia et Redemptore Iesu

quior Hebræum primũ populum illum, cuius typus et ſimilitudo erat Andreas, docuit ſemper et inſtituit, et domini prçcepta, et uiã, et leges indicauit, et uenturum de cœlis cũ qui cœlos aperiret, et degentes in tenebris et umbra mortis illuminaret, et ab inferis educeret, declarare non deſtitit, et clamans ad Dominum, Mitte quem miſſurus es, deprecata fuerit ſemper et orauerit: ita cum eum ſubito natum, et apparuiſſe uidit, et ſuum ſe, ut ſemper optauerat, curſum et iter fælicißime confeciſſe cognouit, gaudens et læta nimium, ſilentium ſibi ſtatim cum imponeret et prophetis, ilico muta ſiluit: et tacens, alterum nouum ei, qui uenerat Meſsiç populum, ſub Simonis iunioris perſona ducit, et oſtendit, quem ipſe regeret, et doceret: et pro legibus pœnæ, et mortis, æternæ gloriç leges daret et ſalutis. Sed cum duo pariter ſint fratres, cur Simonem tantum aſpicit Ieſus, et non etiam Andream, quem uſque adeo dilexit, ut teſtetur etiam et doceat Eccleſia, quod dilexit eum in odorem ſuauitatis? Non innuit aliud hoc quidem, niſi quod Hebræum primum illum ipſum populum, cuius typus, et ſimilitudo erat ſenior, ut diximus, Andreas, amauit uehementer quidẽ ſemper Ieſus, et docuit, et inſtituit, nec ulla in re unquã ei defuit, et omnia pro eis omnibus operari et facere nunquam deſtitit. Sed cum ob tam ingrati ipſius animi, et perfidiæ tantæ crimen, et delictum eſſet eum relicturus; non illum amplius ſub Andreæ ſenioris, ſed alium ſub Simonis iunioris perſona intuetur

tuetur et aſpicit:et Cephas uocans gentilem populum in Hebræi populi locum ponit.Cum uehementius ille igitur idem ipſe quo uenerat è ſinu patris amor,et pietas uſque adeo perurgeret, et impelleret eum ſic, ut amplius differre non poſſet, quin manum apponens ad fortia, perdito mundo ſuccurreret, Simonem iterum, et Andream retia reficientes,ad altiora iam amplectenda conſpiceret, Venite poſt me, inquit, ſequimini me, faciam uos fieri piſcatores hominum. Nec ſtans,ne tempus dimitteret,ſed alijs,prçteriens, quam celerrime diſcipulis, quos uoluit, comparatis, noluit tamen ut plures eſſent,quã acceperit: qui,et ſi puſillus et exiguus appareret,ut erat,numerus,illius inuicta tamen eſſet et fortiſsima uirtus; et tanto inuicta magis, et fortior, quod fortiſsimus, et inuictiſsimus eſſet ille Bariona caput,et princeps inter eos et cum eis: qui uno tantum uerbo filium ſecutus, cuncta poſtputãs, et animum relinquens habendi,nunquam deſeruit,ſic totum et patri,uel ſolus acquirat,et ſubijciat orbem.Elegit hos ille, qui elegit quos nouit, elegit qui nouit quos uoluit:nec in planum, ut ſuos Moyſes, ducit,ſed ſupra montem,id eſt ſuper altiſsimam, cui nec finis ſit nec numerus, ſapientiam ſuam,quę altiſsimus erat ille mons:et altiſsima docet: et Dei ubiq; regnum appropinquaſſe cum eis annuncians,languores curat, dęmones expellit, mortuos ſuſcitat, loca cuncta percurrens omnia docet,omnia luſtrat,omnes illuminat:et ſi graue cui uel ſermo ſecus ac mũdus cuperet,eſſe uideret,

quod

quod bona doceret,et mala prohiberet,& uitam ſequi propterea quidam formidantes, abire retro potius; quam recta facere,mallent,Cum requireret a ſuis Ieſus, uellent ne et ipſi abire cum eis,ſurgens ante omnes Petrus os,et princeps omnium factus, profitens, et exclamans, Domine ad quem ibimus?inquit. Tu enim uerba habes æternæ uitæ. et iterum, Tu es Chriſtus filius Dei uiui, hoc eſt, Tu Chriſte Ieſu,qui ex Virginis carne factus es Chriſtus,Dei uiui,et omnipotentis es filius ſempiternus; Dei inquam uiui,ideſt ab æterno in ęternum æterni, ad differentiam illorum et diſsimilitudinem omnium,qui dij licet dicti, nec ueri ſunt tamen nec uiui, nec æterni. O quam mira, quam altiſsima et quanta tua Petre fides, quam altiſsimum, Petre, ſcire tuum. Quis enim in carne Chriſtum natum uidens, humana unquam penetrare potuiſſet ſapiētia,Dei omnipotentis,et uiui eſſe filium, niſi propitius omnipotens reuelaſſet id nobis de cęlo per Petrum? Altiſsima uere tua Petre fides, altiſsimum ſcire, altiſsima cognitio, qui nobis iter, et uiam ad tam neceſſariæ confeſsionis ueritatem,et lumen aperuiſti.Vnde tantum ſcire Petre tuum? fides unde tanta, et cognitio? teſtimonium o quale habes et quantum, unde ſit et unde ueniat ſcire tuum Petre tantum et cognitio?Beatus enim,Dei uiui filius inquit, Simon es Bariona, quia caro et ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt: et quia tu mihi, quod nemo alius unquam dixit, dixiſti; dico ego et tibi o Petre, quod nulli unquam alij dixi,

(animum

(animum animo, amorem amori, officium officio comparans, ut præmium in me poſitum eſſe pietatis, et amoris, et gratiæ ſcias) Quia tu es Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: et tibi dabo claues regni cœlorum. O quam mira, quam ſuprema, quam altiſsima tua Petre fides: qui ut ante diſcipulos tuos omnes primus omnium cognitor eſſe meruiſti diuinitatis, uel coram etiam ipſamet diuinitate profeſſor, et profitens Chriſtum Dei filium eſſe filium Dei uiui: ita meruiſti ex ore altiſsimi fieri caput, et eſſe princeps uniuerſi orbis terrarum, et ianitor cœli. Et iterum, ut ante alios omnes te totum Chriſto Deo, et homini accuſans, et confitens, Homo peccator ſum, profeſſor primus ſanctiſsimę confeſsionis fueris, te, inquam, accuſans, et confitens, et profitens, Homo peccator ſum: ita meruiſti confeſſorũ eſſe dominus, et princeps uniuerſorum. Tua meruit, Petre, fides, ut non tibi ſemel tantum Chriſtus, ſed bis etiam pręciperet, Sequere me: ſignificans, et docens, quod tanquam de manu ſua in manum iſtam tuam adeo fidelem et præſtantem tibi ut capiti omnium, et principi ſeorſum ab alijs omnibus uniuerſa committeret, et traderet. Tua meruit Petre fides: ut, cum Sathan inſurgeret, ut cribraret uos ut triticum, tibi uni tantum, et non alijs diceret Chriſtus, Oraui pro te Petre: ut alios ſcilicet tibi commendatos et commiſſos, tanquam caput, et princeps confirmare, et regere poſſes. Tua meruit

Petre

Petre fides, ut non tibi, ut ſanctiſsimo illi Apoſtolo, contingeret, qui uocatus poſt alium Iacobum dictus eſt minor. Tu uocatus poſt maiorem, non ſolum non dictus es minor, ſed Cęphas, quod eſt, ut dictũ eſt, caput. Tua meruit, Petre, fides, ut cum inciperet numerare Chriſtus diſcipulos, non a ſeniore Andrea, nec ab alijs, ſed a te incipiens, ęternum tibi primatum, et non alijs attribueret. Tua meruit Petre fides, ut ter a Domino requiſitus an ſe amares, ut ita ter, ut ter negaueras, ardore tanto, et incendio profitereris, et confeſſus ſis, quod eum, ut amabas, amares, ut cura totius orbis, et poteſtas tibi commiſſa perpetuo ſit, et tradita, eo qui traderet, et committeret imperante, Paſce oues meas. Tua meruit Petre fides, ut de ſtatere mirabiliter in ore piſcis inueniendo tibi committens imperaret Chriſtus, Vade ſume, et da eis pro me, et te. Quibus uerbis teſtatus eſt Ieſus, et teſtatum æterne reliquit, quod poſt ſe, te relinqueret uelut alterum ſe, in quem myſteriorum, et miniſteriorum omnium poteſtatem, et curam transferret: et totam, ut inquit etiam Auguſtinus, perpetuo tranſmitteret. Quo myſterio uniuerſi, quibus etiam ea per te commiſſa eſſent, et tradita, non obliuiſci, ſed meminiſſe deberent ſemper, non diſsimiles unquã pietate fore, et iuſtitia ſtateris. Non myſterium fecit unquam Dominus ullum, quin paſtorem fidei tantæ, et tantum ſecum ſemper eſſe uoluerit: ſiue in Archiſynagogi domo, et mortua eius ſuſcitanda filia: ſiue cum ſe inter Moyſem, et Eliam oſtendit, et apparuit ut

ſol in monte ſancto: ſiue cum ex eo guttæ cadunt in terram, ut ſanguis in horto: ſiue in cena, ſiue ubiuis: et in tanti etiam myſterij, et lotionis pedum arcano, cum ſcriptum ſit, Cum ueniſſet ergo ad Petrum Ieſus, et uerbum illud, Ergo, confirmationem ſignificet, aperte declarat et docet Ieſus, quod ubi à cena ſurgit, ubi ſe linteo præcingit, ubi uenit, ubi lauare incipit, non ab alio prius, quam a principe, et capite Petro incipit: et Petri humilitas pedes licet ob maieſtatis obſeruantiam et amorem retraxerit, ſe totum tamen, ne maieſtatem perderet, exhibens, non recuſandi alijs, ut princeps, et caput exemplo fuit. Nec mirum ob tantæ maieſtatis honorem, et obſeruantiam retraxiſſe pedes eum, qui cum de eiuſdem ipſius etiam maieſtatis antea paſsione, et crucis morte audiſſet, tantus in eam eius eſſet amor, et pietas, ut eandem retrahere maieſtatē uſque adeo cepiſſet, et obſecrare, ne permitteret in ſe talia, et tanta pati, ut Redēptor ipſe noſter Ieſus, qui perdito mundo ſuccurrens, decreuiſſet omnino mori, commoneret eum uehementius, et reprimeret ſic dicens, Vade: neſcis quæ ſint Dei. Non patitur, non permittit, nulla ferre cauſa, nullo conſentire pacto, nulla ratione poteſt tanta fides, et amor, et pietas, Dominum ſuum, ne ſupra quidem mare, et periculo tanto et diſcrimine, ſine ſe eſſe ſolum: per undas ad eum ſupra mare ſolus, et diſcrimine tanto mirabiliter accurrit: ſed manum fidei tantæ porrigens Ieſus mirabilius opem affert, et ſuccurrit: pergit per undas, et ſupra

mare

mare tanta Petri fides, et amor,ut Dei maiestas, et potentia cognoscatur, et adoretur. Fluctuari Petrus incipit, et mergi, ne quisquam similem se Deo iactari præsumere audeat, aut par unquam esse posse uideatur. Sed qua fide se per undas ire posse fides tanta credidit, et non mergi, eadem etiam cum mergi incipit, credidit et se posse saluari. Fluctuat Petrus, mergitur, deficit, periclitatur, significans quod non nisi per pericula, et tentationum naufragia, properatur ad Christum: a quibus, nisi clamemus ad eum, et manum opem ferens porrigat, tuti, et salui esse non posśimus. Diuelli tantus amor ab amore non potest,ne tum quidem cum dicit, Sinite hos abire: quin pro eo stricto etiam gladio pugnet, et illatis uulneribus nisi esset ab eo repressus, ad mortem etiam usque depugnasset: et gladius manu apostolica eductus, sancti Spiritus gratiam trahens, uniuersos etiam ad unum disśipasset. Non se continere, non reprimere tanta potest pietas, et amor, quin inter etiam arma, et cohortes, et inimicos,in prętorium quoquomodo posśit,irrumpat, Dominum suum periculo neglecto mortis, et morte, sequens. Permissus inter dolores tot tamen,et tanta, et usque adeo uniuersa contraria, et aduersa, non semel tantum est, sed ter etiam negare, non ut caderet, sed ut cui dominandum esset uniuersis, dominari disceret magis,et magis etiam misereri. Radium et flammam sui amoris ille,cuius semper oculi super iustos,immittens, eum aspexit: et in se ille reuersus, amarisśime fleuit.

Fleuit Petri humilitas, et tacuit, et pudore tacendo non se excusauit, sed magis etiam et magis accusauit: non enim excusatur, quod lachrymatur, sed quanto pos sit magis, et plenius accusatur. Accusat enim lachryma cum tacet, accusat inquam totum, quod pudor est uoce confiteri: et quod nullo defendi modo loquendo pos sit, lachryma uel tacens uniuersum profert, et diluit. Non erubescunt lacnrymæ postulando, sed impetrant tacendo: tacitę sunt lachrymæ preces, uerecundię ser uiunt, et saluti. Veniam uoce petere pudore non audẽt, sed dolore merentur: causam non proferunt, sed misericordiam consequuntur: sunt lachrymę precibus utiliores. Fallit enim sæpe uox cum petit, non fletus decipit unquam, et lachryma si tacuit. Non totum sępe pro fert lingua quod cupit: totum lachryma semper aperit, et uniuesũ profert quod uult, et ostendit. Ante lachry mas se regere fides tanta non potuit: post lachrymas re gẽdos alios accepit. Ante lachrymas Petrus nihil, Ambrosius inquit, habet, post lachrymas assumptus est. Lachrymatur etiam, et tacet, ne si tam cito ueniam petere pręsumeret, id quod maius omnium esset, et grauius, et tanto sibi dolori, ut nullo posset dolori comparari, leuius forsan, et nullius momenti existimari posse uideretur. Et Dominus a morte resurgens, prius alijs omnibus, et ante omnes, ut principi sese ostendit, et apparuit: sed apparendi modus, et ordo, ut in alijs non scribitur: scriptum satis est, cum scriptum sit, quod Simoni apparuit: et quod, inquit Paulus, apparuit Cęphę, deindę

deinde undecim. Et dicens Angelus, Dicite discipulis eius, et Petro, et dictio ipsa, Et, separationem significet, non Angelus dicit, ut dicant cum alijs Petro, sed nominatim, et seorsum ab alijs, tanquam principi, et capiti: nec tantum ut dicant quod surrexerit, sed quod anteiret etiam, et præcederet eos in Galilęam. Et cum in litore se iterum eis etiam ostendit, et apparuit, uirgo licet uirginem cæteris altius, et prius agnouerit, dicens Petro, Dominus est, ut per undas antea tamen ad eum Petrus, et per mare solus accurrisset: sic e nauigio solus exiliens per mare solus ante omnes ad litus, et ad Iesum prior ut princeps, et caput accesit. Et ipsemet etiam cum Ioanne antea currens ad sepulchrum, iunior licet, anteuenerit; Petrus tamen prius ut ardentior, et caput, et princeps introiuit. Apparebat Iesus ante mortem discipulis in mari, significans quantis in hoc seculo fluctibus afflictaretur, et procellis. A mortuis cum resurgeret, stat in litore securus, et quietus ab illis, quibus antea iactabatur: significans, et nos, post labores nostros, ab inferis resurgendo, pariter quieturos. Post gloriosissimum eius in cœlos ascensum, cum discipuli pariter essent ab Oliueti monte reuersi, perseuerantes unanimiter in oratione semper, et obsecratione cum Maria matre Iesu, in medio surgens eorum Petrus, cum centum fere essent, et uiginti; inter alia salutis, et gloriæ documenta, Matthiam in locum proditoris, rationem afferens, et prophetias exponens, in sanctisimum

Aposto-

Apoſtolorum collegium interueniente Spiritu ſancto cooptauit, et inſtituit. Tria hominum millia prędicatione ſtatim, et miraculis acquiſiuit. Hominum decem millium numerum quam ocyſsime ſuperioribus mirabiliter adiunxit. In templum cum Ioanne ingrediens claudum ad eleemoſynam tandiu in porta iacentem manu ſubleuans, Argentum, inquit, et aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do: in nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, et ambula: et incolumis ille ſubito ſurgens, et exiliens, in templum cum eis Deum laudans ingreditur: uniuerſo cōcurrente, et in qua hęc poteſtate facerēt ſtupente, et ſciſcitante populo, Quid, Petrus inquit, admiramini? quid nos intuemini, quaſi noſtra hoc uirtute fecerimus? Deus Abraham, et Deus Iſaac, et Deus Iacob, et Deus patrum ueſtrorum ſuſcitauit filium ſuum, quem negaſtis ante faciem Pilati, illo iudicante dimitti: ſanctum, et iuſtum negaſtis, et petiſtis homicidam: authorem uitæ interfeciſtis. Deus eum ſuſcitauit ab inferis: et fides eius dedit huic integram hanc iſtam ipſam quam uidetis, et admiramini ſanitatem. Pœnitemini igitur, et pœnitentes baptizemini, ut delicta ueſtra deleantur, et crimina. Et magis in dies Eccleſiam augens, ſi minis urgeretur, non timebat: ſi cęderetur, in uerberibus magis etiā lętabatur, et gaudebat. Hunc timebant infideles, hunc uerebantur, hunc tremebant, huic inſidiabantur: hunc de mundo tollere parabant: hunc ſi interficere poſſent, nihil eſſe negotij reliquos ſuperare ſperabant. Ille enim uehe

mens,

mens,ille fortis,ille contrarius: constantes ille uoces, in concilijs, in iudicijs,in synagogis resonabat: in aduersarios decertãs miraculis insignibus eos, et uirtute superabat. Ab Herode tandem per insidiatores et insidias in carcerem,et cathenam crudelissime missus,quatuor custoditus custodijs, ut si unam forte clam fugere conatus euitasset, in alias tamen incidens, nulla posset ratione saluari, ab Angelo mirabiliter eripitur. Quo per Angelum fidelibus et Ecclesiæ restituto, in uias et plateas paralytici portabantur, et languentes; ut transeunte eo ipso Petro, uel umbra eius a quacunque curarentur infirmitate,et languoribus. Tantus enim Petrus miraculis erat, et tam prędicandi altitudine potens et tremendus,ut eius umbra sanaret infirmos:uerbo suscitaret mortuos: aspectu,et terrore morti adijceret ualẽtes, et uiuos. Ananias cũ uxore Saphira mentientes de pretio agri,cadunt ante pedes eius utriq; mortui. Mortua Dorcade pauperum amantissima, uno eius tantum uerbo suscitatur ualens, et uiua. Aeneam paralyticum octo sine spe annos in lecto languentem, omnium concursu, et gratulatione saluum dimittit, et incolumem. Cornelium Centurionem gentilem conuertens, et eius familiam totam uno tempore baptizans, et instituens, fidelibus et Ecclesiæ coniungit. Linteum quadrupedum, et aliorum animalium plenissimum de cœlo in excessu mentis demitti ter uidens, et uocem sibi dicentem audiens, Occide et manduca: intellexit, et intellecta docuit, illa non amplius esse prohibita, sed

(ut illa

(ut illa etiam piſcium ſagena figurabat) omnes gentes ad fidem eſſe ſuſcipiendas. Et quanta eos pietate ſuſciperet, et miſericordia, et quam cuperet, ut alij etiam quibus cura data eſſet, ſuſciperent, conciones cum faceret, prædicabat, et prædicans docebat, cur Deum tentarent, ut onera ſuper aliorum ceruices imponerent, quæ neque nos, inquit, neque patres noſtri portare potuimus? Tanti regiminis, et pietatis poſt prætorij fletus ſemper, et lachrymas fuit. Tertio ſuæ uocationis anno Paulus ad eum ipſum Petrum uenit, non ad diſcendum, cum præceptorem de cœlo Chriſtum habuiſſet, ſed ad parendum, et, ut ipſemet inquit, per reuelationem, ut cum eo conferret euangelium, ne in uanum curreret, aut cucurriſſet, cum non duo nec plura, ſed unum tantum Deus uoluerit eſſe caput in Eccleſia. Tanto uero, et tam uno ij fuerunt utrique deſiderio ſemper, et amore deuincti, ut nulla unquam poſſet inter eos eſſe diuerſitas, nulla contentio, nulla oriri diſcordia, nullum interuenire diſsidium, ſed unus utriuſque ſemper animus, una mens, unum cor, idem uelle, idem nolle, idem ſcire, idem amor, eadem fides, duo unus, eundem uterque reſpiciens finem: quę unitas, et amor, non aliter atque ſol in cœlis luceret ſemper, et in terris. Quod alter autem alteri reſtiterit, dummodo cōcordis animi fuerint ſemper, ut fuerunt, non de eorum eſt concordia, et amore unquam dubitandum. Reprehenſio enim Pauli fuit, quod Petrus cariſsimus frater eius uerſando cum gentibus, et iudaizaret,

daizaret, ne ſcandalo id eſſet gentilibus. Petrus non id tam pro Iudæorum, quam etiam et gentilium ſalute, et gloria faciebat: Paulus eum pro utrorumque ſalute, et gloria reprehendebat. Petrus ſe gentibus ſubtrahebat, ne ſcandalo eſſet Iudæis: Paulus uerebatur, ne id ſcandalo eſſet gentilibus. Quod timore charitatis Petrus, ne pietati deeſſet, faciebat: fidei zelo Paulus ab eo retrahebat. Petrus per humanitatem, et pietatem, omnia ſibi licere facere, quæ alij facerent, ut lucraretur, et conuerteret omnes, exiſtimabat: Paulus præ magnitudine forſan, et altitudine dignitatis, et poteſtatis, quam adeo ſemper in Petro ad mirãs uenerabatur, quæ alijs minoris gradus facere liceret, non omnia Petro per dignitatem licere iudicabat. Vterque autem ſiue per fidem, ſiue per charitatem, unam Dei, et eandem augere eccleſiam nitebatur: eandem uterque ſalutem animarum, eundem uterque Dei honorem quærebat: eandem uterque operam, eadem fide, eodem animi ardore, eodem fine (licet alius alio modo) operabatur. Vt alij etiam diſcipuli Domini inter ſe quandoque ita diſſenſerunt, ut alter in unam, alius in aliam partem diſcederet: utriuſque tamen idem ſemper amor, eadem pietas, eadem fides, ipſamet intentio. Certum eſt etiam quod peccare non poteſt intentus in Deum ſemper Angelus: et Angelus quandoque tamen, ut Prophetæ teſtantur, Angelo reſiſtit. Tantus enim erat Petrus, et tam, ut diximus, miraculis potens, ut non ipſe modo, ſed ea etiam quæ

C perſonam

perſonam ſuam tetigiſſent, mirabilia operarentur, et facerent. Non prætereundum eſt, quod cum Theodoſia Theodoſij Imperatoris uxor, catenam illam, qua Hieroſolymis Petrus eſſet ab Herode detentus, Romam detuliſſet ad Pontificem, qui ſumma aliam pietate cuſtodiret, qua Romæ fuiſſet a Nerone deuinctus, mirabili quodam modo inter ſe ſe connexerunt. Non enim altera prius in conſpectu alterius fuit, quam ſe ſe, uelut inter ſe agnoſcerent, rapientes, ſic pariter inuicem complexæ conſtringentes, fibula ſic fibulæ, catena ſic catenæ, altera ſic alteræ uehementer aperiens, et uſque adeo connexa uelociter, et reuincta conſtringens, ut non diuelli modo altera ab altera non poſſet, ſed nullo remanente ueſtigio uel ſigno, ad exemplum, et imitationem uinculi, et perpetui amoris domini ſui Petri et Pauli, ex duabus una facta ſit. Et inde tantis ideo catenæ ipſæ miraculis in eccleſia Diui Petri ad uincula Romæ conſeruātur, et con curſu tanto, et religione uenerantur. Paulus imperandi poteſtatem Petri tantā admiratus eſt ſemper et adorauit, et ad eum uenit, et paruit: nec Petrus honori Pauli unquam defuit. Cum Petrus uero ad regendi et imperandi laborē a Chriſto operante, et Paulus a Chriſto triumphante ad prædicandum uocatus fuerit; et laborioſam uitam Petrus, Paulus uero triumphantem, et beatam ſignificet; et beata uita, et triumphans uitę actiuæ anteponatur et laboris: Petrus, qui a dextris imperat ſemper et a ſiniſtris; tanto Pauli, ut diximus, honori,

ri,nunquam defuit,quin ei a dextris etiam ubique ubi oporteret,locum daret . Et reliquis omiſsis, per aliud etiam myſterium ponitur ad dexteram Paulus:cum gentilem ſcilicet populum repræſentet,quem ſuo pręcipuo labore,et prædicatione acquiſiuit: et nos, qui gentilis idem populus ſumus, ad dexteram, et locum primum, quem tenere ſolerent Hebræi, illis expulſis,collocauit et poſuit.Nec id uero poteſtatem Petri minuit,ſed accreſcit magis et auget:cum Petrus eidem populo a dextris imperet,et a ſiniſtris.Quod item et ipſa myſteriorũ magiſtra ſanctiſsima docet mater Eccleſia:cum Spiritu ſancto ducta, Paulum ponit ad dexterũ cornu altaris inter celebrantem, et euangelium, ad primas incenſationes,et ubiq; alibi ad dexterã ubi oportet. Nec mentionem unquã unius facit,quin faciat etiam alterius: ut quos cœlo dignos Paulus pręndicando efficiat:ad quietem ijs et gloriam, Petrus cœlum aperiat. Apud rudes tamen et imperitos, quos myſteria latent, recte ponitur ad dexteram Petrus, ne alterum pro altero acciperent eſſe caput. Cum ergo Petrus,et Eccleſia,Paulũ ad dexteram ponunt; nec ſuum imperium Petrus,nec Eccleſia domini ſui Petri poteſtatem minuit: ſed gentilẽ populum, quẽ Paulus acquisiuit, et cui Petrus ipſe dominus ſuus imperat, oſtendit. Sed de his in alio opere ſeparatim diximus ſatis: et Mucantius cæremoniarum magiſter,uir doctiſsimus,poſt etiam plurima ſcripſit.Septem Petrus Antiochię præfuit annos: ſed tantularũ, et tam leuium rerum occupatione, uniuerſum ſibi com

mendatũ et traditum, uirtus, et mens tanta non deſerit orbem. Aſiam interim totam, Bithyniam, Pontum, Pamphyliam, reliquas omnes totius orientis ciuitates et lò ca perluſtrans, legibus, inſtitutis, pace, religione inſtituebat: dies et noctes ad fidem uniuerſos illuminare totius animi ardore inſiſtebat. Prædicabat Iudæis Paulus, et gentibus: gentibus Petrus et Iudęis. Ad miracula Petri trementes Iudæi mouebantur: Gentiles qui miracula non admodum ſequerentur, altiſsima Pauli ſapientia, et prædicationis ardore conuertebantur. Petrus omnium ſalutem operans et quærens, unicam filiam, non eo ad Apoſtolatum uocato, ſed ante ſuſceptam cum haberet eximiæ pulchritudinis; pulchritudinem ægritudine continuit ſic ſemper, et contemperans repreſsit, ut ſanctior illa, et purior, ſanctiorem Deo uirginitatem, et puriorem cuſtodiens, et ſua in cœlum, et fœliciſsimi patris ſui fœlicitate fœliciſsima conuolarit. Scribens etiam Petrus cariſsimum fratrem ſuum Paulum quædam ſcripſiſſe difficilia ſecundum ſcientiam ſibi datam, quæ inſtabiles, et indocti detorqueant, ſicut et cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem; non ſolum ad honorem hoc ſcribit cariſsimi fratris ſui Pauli, cum ea teſtetur eſſe a Deo, ſed ut manifeſtũ etiam, et teſtatum relinquat, non poſſe ſcripturam, niſi per eundem ipſum Spiritum ſanctum, a quo facta ſit, intelligi: nec ad eius difficilia, niſi ad Eccleſiam firmamentum, et columnam fidei, humiliter, et demiſſe confugiendum. Petri ſine literis humilitas

militas

militas diuinitatem agnouit; et salutares, et diuinas facit, et mittit epistolas. Humilitas Virginis Altissimi fit mater; et tam diuinum componit, et facit altissimum canticum illud ipsum, quod uniuersum replet, et tam gloriose resonat orbem. Pauli humilitas dignum se non putans Apostolum, flamma sui oris eloquij totum inflammat, et illuminat mundum. Petri humilitas Antiochiam totam erudiuit sic, et sic instituit, ut discipuli Domini cœpti ibi primum dici sint christiani. Romam, ubi diutius mansit, et prædicauit, sedem ubi diutius habuit, diutius præfuit, adeo fidelem, et Deo caram reddidit, ut scribens Paulus etiam ad eos, letetur, et gaudeat, quod fides eorum annunciaretur in uniuerso mundo: nec solum id Paulus scribit, sed et Romam ad Petri fidem adorandam totus etiam concurrat, et conueniat orbis. Cum Petrus itaque uniuersum orientem, et Asiam perlustraret; Ecclesiam continuato labore, fide, et gratia, et numero augere non desisteret; Ancyre ciuitatis Gallaciæ mortuum suscitauisset; urbem totam sanctissimi baptismi gratia illuminans et baptizans, et mente totus, et animo ad uniuersa conuersus insisteret: ei Dominus apparens, ad prædicandum Romę iubet eũ proficisci: et sicut dictum de Paulo fuisset, Ostendam ei quanta oporteat eum pro nomine meo facere, et pati; sic et Petrus nihil sibi nisi laboribus, et morte præposita, Romam lætus iter arripiens, inter alios doctissimũ etiam uirum secum ducit, et sanctissimum, Apollinarem, quem post etiam Rauennæ

præ-

præfecit, quo in munere ita ſe geſsit, et probauit, ut ſanctitati, laboribus, religioni, et miraculis glorioſiſſimi Martyrij coronam adiunxerit. Romam igitur Petrus ſecundo Claudij Imperatoris anno profectus, nihil ſibi faciendum prius exiſtimauit, quam Simonis magni dolos, et magica præſtigia, manifeſta ueritate proſterneret. Et licet ſæpe ſecum alias etiam congreſſus, et a ſe uictus ille ſemper, et ſuperatus, a populo ne occideretur impetraſſet. Cum eò tamen, urgente Sathana, perueniſſet, ut ſicut ſupra ſe præliaretur Lucifer et contenderet in cœlis, ſic extra ſe ille conaretur, et pugnaret in terris eſſe Deos; ut Angelus Angelum uniuerſo ſpectante cœlo, de cœlo proſternit: ſic Simon Simonem e Luciferi, et Sathanæ manibus coram omnibus in terras eliſit. Quo deuicto, et repreſſo; cum tantus ille eſſet, ut populum fere uniuerſum magicis præſtigijs obcæcaſſet, magnum paucis diebus fidelium numerum Petrus acquiſiuit: magnam populi partem a magicis inſidijs perſpecta ueritate alienauit: magnam ab idolorum ſacrificijs multitudinem reuocauit: et quotidie cum maiorem miraculis, et prædicatione reuocaret; ad partes Orientis, et Aſiæ, perurgente neceſsitate, neceſſe fuit ut recurreret: ijſque rebus quarum cauſa uenerat, ut erat celeritate, et regimine præſtans, ſubito compoſitis, Romam ſubito reuertitur: cui gratulatio tanta facta eſt, et tanta orta ſpes, et illata ubique fidelibus, ut fidelium numerus ita quotidie magis ubiq; augeretur, et creſceret, ut non ſufficeret unus; Linum

et

et Cletum, et alios, qui ad laborē secum essent, elegit et instituit. Et animū inducere quis posśit uel audeat, nunquam Romę fuisse eū, qui Romam ex idololatria fidelę fecerit, magicos inde proiecerit, fidem in eam, et religionem portauerit? ubi tandiu prędicauerit, tandiu fuerit, tot ubi gesserit, miracula ubi tanta fecerit, corpus ubi sit eius, ubi occisus, ubi sepultus, ubi ueneretur, quo totus ad eum uenerit semper et ueniat mundus? Aliorum fit solemnis, et festus sanctorum translationis dies, cum de loco transferuntur in alium: translationis Petri ubi locus? ubi dies? unde translatus? sicut est eiusdem sedis, et Cathedræ solemnis, et translationis dies? Et Diui etiam Bartholomæi cum fiat ubique solemnis, et festus dies die mortis; Romæ tamen altero die fit, qui dies est translationis, cum eodem scilicet die Romam translatus fuerit. Quod cum de Cathedra fiat, et Apostolo, quanto magis fieret, et solemnius, si translatus esset Apostolorum caput, et princeps? Non fuerit ergo ille ibi, ubi sit mortuus, ubi crucifixus, ubi sepultus? An non et Tertullianus, tam antiquus et uerus historiarum scriptor, qui de eius mansione Romæ tam clare scribit: et alij etiam certisśimi, et plurimi historiarū authores, cum de Petro pariter, et eius mansione Romę scribunt, non scribunt fidei faciendæ causa de re tam certa, ut testem uniuersum semper habuerit orbem, tot imperatores; et quod omnium maius est, et sole clarius, Ecclesiam: sed scribunt, quod non modo annalium, et historiarum ueritas, et ordo sic postularet, ut aliter fieri

non poſſet; ſed ut per paſtorem etiam, et principem talem, et tantum, ſuæ ualidiores eſſent, et nobiliores hiſtoriæ. Quid? quod ſcribit etiam ad Timotheum Paulus, ut Romam ueniat, et Marcum ſecum ducat, quia opera eius utilis eſſet in miniſterio. Qui cum ſcriptor eſſet euangelij Petri, non ne oportebat ut Romę eſſet, ubi Petrus dominus eius? Cur non ſcribit etiam (dicat forſan aliquis) Petrum etiam fuiſſe Romæ? Superuacaneum id quidem, et ſine cauſa ſcriptum fuiſſet, cum non modo Timotheus, ſed orbis ſciret uniuerſus Petrum eſſe Romæ, et Romam fere iam uenirent omnes ad eum. Quinque Petrus annos, et uiginti Romæ præfuit, ſedem Romæ quinque, & uiginti annos habuit: ſed quæ, et qualia interim, et quam diuerſa itinera fecit, loca quæ, et labore quanto peragrauit? Ad obitum ſanctiſsimę Virginis conuolans mirabiliter cum alijs interfuit: totam diuerſis temporibus Aſiam, Africam, Hiſpaniam, Angliam, Galliam, Italiam circumiens, quaſcunque ciuitates adibat: eccleſias fabricabat: infirmitates, et languores curabat: Epiſcopos præficiebat: presbyteros ordinans, cuncta quę eccleſiæ uſui eſſent, diſponebat: ubique admirabilis, ubique tremendus, coruſcans ubique miraculis, ad eum undique concurſus, ubiq; cum eo Deus. Romam doctrina, uerbo, ſapientia, moribus, inſtitutis, clariorem in dies efficere non deſiſtebat, dies et noctes uigilabat: Lini opera, et Cleti, et Marcelli, et aliorum ſemper utens, Marcum Alexandriæ

xandriæ præfecit: Rauennæ, qui ſecum Romam uenerat, ut diximus, Apollinarem: Philippis Olympum: Nicomediæ Procorum: Martianum Siracuſis: Euodum Antiochiæ: Cornelium Helleſponti: Theſſalonicæ Iaſonem: Terracinæ Epaphroditum. Non eſt neceſſe narrare ſingula, cum idem faceret in ſingulis. Neronis uero impietas, et ſuo nomine crudelis, et multo perurgente Sathana magis, miris odiſſe modis et inſequi Petrum cepit, et eccleſiam, inflammantibus eum in dies etiam magis infidelibus, cum alijs de cauſis, tum ob eos, qui aliter ac ipſe uiueret, uiuere cepiſſent; et relictis idolis, et idolorum ſacrificijs, Chriſti fidem, et Eccleſiæ ſequerentur. Non deerat paſtor ſanctiſsimus, quin dies daret operam, et noctes, ut quibuſcunque modis omnibus poſſet, et rebus, ſaluti Neronis non deeſſet, et furori tanto, et crudelitati mederetur, et ſuccurreret, et fidei minus, et Eccleſiæ noceretur. Et pro Chriſti, et Eccleſię gloria mori cupidiſsimus et occidi, nec furori cederet, nec minis, ut in dies magis Eccleſiam augeret: cum fideles tamen eum tantopere deprecarentur, ſic et orarent, ut nulla deprecatio eſſe poſſet ardentior, ut tam neceſſario tempore, furori tant[illegible]um daret, ſeque ſuis et Eccleſiæ, ad populum pro Chriſti etiam gloria, et honore inſtituendum reſeruaret, quamquam nullius terroris, nullius formidinis, aut mortis poſſet cauſa uel ratione deterreri, tantorum tamen lachrymis, et Ecleſiæ deprecationibus compatiens, coactus

et ægre,et inuitus exire porta cũ cepiſſet,ei Dominus, authore etiam Ambroſio, obuiam fuit, dicens ſe Romam iterum ire crucifigi.Cepit in Abel iuſto pati Chriſtus, et patietur in omnibus iuſtis oppreſsis, et occiſis, ad conſummationem uſque ſæculi: cum ſit Chriſtus iuſtorum omnium caput,et iuſti omnes myſticum corpus eius. Cum incutitur Saulo terror, et minatur, Quid me perſequeris? lapidabatur tum in Stephano, et patiebatur Chriſtus. Sic et nunc in Petro Chriſtus a Nerone erat Romæ crucifigendus. Intellexit tantus paſtor ille ſanctiſsimus, ſibi eſſe Romam redeundum, ſibi Romæ moriendum: ſed pro Chriſti occidi gloria, et mori, ſibi gloria, ſibi honor, ſibi decus, ſibi uita, ſibi uniuerſa. Vt Roma coactus a fidelibus, et præterquam ipſe uellet, et inuitus exierat:ſic pro Chriſti, et Eccleſiæ gloria,Romam cupidiſſime redire feſtinans, operari incipit: et diu laborans, nec labore defeſſus, nec terrore deterritus, cum fidelium numerum, et Eccleſiam maiorem in dies efficere non deſiſteret:per inſidias a Nerone comprehenſus, in carcerem mittitur: et mortis eodem ſibi quo etiam Paulo dicto die, ambo e carceribus extrahuntur ad mortem: qui obuiam inuicem congreſſi, ſuum uterque fratrem diu complexus, et inuicem gratulantes, quod ſicut uno ipſo animo, uno amore, una fide, et labore, unum uterque finem ſequens, pro Chriſto, et Chriſti Eccleſia ad mortem uſque fœliciſſime laborantes decertaſſent:ita uno tẽpore, uno die,

una

una hora, uno desiderio ad uitam, et laborum pręmia et fælicitatem uocarentur, et contenderent: amore tanto complexi, ut alter ab altero diuelli, præsens a præsente eripi, ab oculis oculi fletu non possent, et pietate distrahi. Sicut Christus conseruans Ecclesiam, et imperans, Sinite hos abire, crucifixoribus obuiam processit, et cruci: sic passis uterque manibus in cœlum, corde, mente, et spiritu uehementius orans, nec semel tantum, sed sexcenties milies pro Christi, et Ecclesiæ gloria occidi cupiens, et mori, interfectoribus occurrit, et morti. Nunquam destitit pastor tantus a labore, nunquam ab imperando, nunquam a docendo. Viuens a labore non destitit, moriens labores crucis in cruce sustinuit. Imperium uiuens non dimisit: et moriens crucem ut uerterent ut dominus, (et uerterunt) imperauit: et loqui cum non amplius etiam posset, ita mori tamen uoluit, ut non a docendo modo non desisteret, sed ita et mori, ut post etiam mortem in cœlum pedibus iter etiã ostenderet, ut post obitum suum haberẽt fideles recordari, unde possent, sicut etiam ipsemet scribit, talem et tantum se meruisse, et habere potuisse præceptorem. Nero autem eodem ipsomet anno quo eos interfecisset, ex urbe ob tyrannidem expulsus, per agros extra mœnia tanquam noctua delitescens, cum quendam inuenisset, et desperatione ab eo rogaret interfici, ille uero recusans eum interficere nollet, cruenta illa ipsa desperata crudelitas interfici desperatione cupiẽs, et quęrens, quod

neque amicum,neque inimicum haberet, ut proditor qui Christum Iesum tradidit,laqueo se suspendit:ita ut qui Petrum interfecisset et Paulum, suo se gladio iugulauit. Sanctissima uero Petri et Pauli corpora in ecclesia diui Sebastiani, una ex septem ecclesijs, diu quieuerunt. Sanctissima nũc uero capita in sanctissima diui Ioannis Laterani ecclesia in Lateranensium et Cõstantini ædibus et palatio, ab eo ipso magno Constantino imperatore, et Siluestro Pontifice sanctissimo edificata, et desuper altare maiori, pulcherrimis quatuor columnis, et totidem cratibus ferreis editissimo, nec minus pulcherrimo aspectu, quam sanctissimo loco ita posita ipsa diuorum Petri et Pauli capita, ut alio loco diximus,posita,ut non solum ipsa suum quem amãt populũ conspicere,sed in eum,et pro eo inuigilare, et suus ea populus adorare possit, et uenerari, concursu omnium tanto, et honore uenerantur, ut cũ statis diebus populo ostenduntur,tãta populi multitudo,conueniat et aliunde,ut nullum ædificium capere multitudinem tantam posset,cum amplissima ecclesia repleta sit, necessitas cogat ut primi locum dent cæteris, et in die sæpius ostẽdantur.Corpora uero in sacrosancta, et sanctissima totius orbis terrarum diui Petri ad uiam in Vaticano triumphalem ab eodẽ Constantino,et Siluestro ædificata ecclesia, tanto omniũ plausu, concursu,gratulatione,et honore sub maiori altare uenerãtur et adorantur; ut qui ad sanctissima Petri limina non uenerit,fidelis esse non uideatur. In Vaticano celeberrimo

rimo totius inquam orbis terrarum, et frequentißimo loco adorantur:ut ubi tot, et tanta olim trophea, et triumphi diſponebantur ad portam Romæ,ad ingrediendã toto ſpectante populo Romam,in prȩmium breuißimi temporis,et honoris: nunc in eodem ipſo Vaticani triumphorum loco, et ipſa eccleſia, tot et tanta quotidie myſteria celebrentur,et fiant:nec ad breuißimi, ut olim temporis momentum, ad Romam ingrediendam, ſed tanquam ad ianuam, et portam cœli ad cœlum toto ſpectante cœlo introeundum, in præmium non exigui, ſed perpetui honoris, et ſempiternæ fœlicitatis: tantæ inquam,et perpetuæ fœlicitatis,et honoris, ut prætereundum non ſit, quod nullius imperatorum, ne Auguſti quidem, qui tandiu regnauit, et tandiu in pace uixit, niſi primi imperatoris cineres inueniantur: nec alia de cauſa credendum quod ſic poßint inueniri, niſi quod poſitæ fuerint prope locum eum, ubi ædificanda tam ſancta eſſet, et ianua cœli eccleſia, et ponendum tam ſacroſanctum Petri corpus:Petri,inquam,primi principis et imperatoris omnium fidelium: ut primus princeps et imperator omnium infidelium, ſemper aßiſtere uideretur primo principi, imperatori, et capiti omnium fidelium, et quodãmodo uenerari ſemper, et ei adeſſe cogeretur. Vt latere neminem,ſed notũ cuique ſemper et manifeſtum eſſe poſſet, quo differrent honore, et quantum intereſſet inter eum qui omnia conatus fuerit ſemper et fecerit, ut ſupremus omnium eſſet, et altißimus; et

eum

eum qui tam ſemper humilis, et demiſſus precaretur, et oraret, Exi a me Domine, quia homo peccator ſum: et qualia et quam æterni myſterij æterna Chriſti uerba ſint illa dicentis, Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: et qui ſe humiliat, exaltabitur. Ille enim ex altiſsimo et ſupremo throno, et dominatu, et loco, in infimo eſt, et humili redactus et poſitus: hic in ſublimem, et ſupremum, et altiſsimum ueneratur exaltatus, et adoratur. Ille non ſolum ei aſsiſtens eum uenerari, ſed et diuina prouide ntia, ſi non uerbo, re ipſa tamen fateri quodammodo, et dicere cogatur, quàm non modo fideles omnes, ſed uniuerſi etiam infideles teneantur, et debeant uenerari unam et adorare ſanctiſsimam ſemper et catholicam Dei Eccleſiã: nec eam tantum, ſed in primis uerum dominum, et imperatorem eius illum talem et tantum, cui nec ſibimet Cęſari, nec alij contigerit unquam, ut ſuum ei dominus nomen impoſuerit, dicens, Tu uocaberis Cephas. De quo uel ipſe idemmet Cęſar coactus non poſsit non cõfiteri, quod nec ſibi, nec alij unquam dictum ſit, Tu es, niſi Petro paſtori, et imperatori illi tanto et tã magno, Tu es Petrus: et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: et portæ inferi non præualebunt aduerſus eã: et tibi dabo claues regni cælorum: et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatũ et in cœlis: et quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum et in cœlis. Et cui uni (quod ſibi Domino tam cordi eſſet) omnia in æternum commendans, Paſce, inquit, oues meas.

Coactus

Coactus pariter sit et fateri et dicere, quod nec sibi nec alij dixerit unquã Dominus, Sequere me. Seorsum, inquam, ab alijs, uniuersam iterũ et æternam sibi relinquens potestatem. Coactus etiam ut sępius dicam, fateri et dicere, quod nisi uni Petro præceperit, de statere in ore piscis inueniendo, Vade, et sume, et da eis pro me, et te. Quibus uerbis docuit, quod omnium mysteriorum et ministeriorum potestatem ut in se ipso erant, ita in eum transferret, et transmitteret: et eum post se, tanquam alterum se, relinqueret: et quibus ab ipso commissa ea essent et tradita, nunquam dissimiles fore, sed similes esse debere semper, pietate, et iustitia stateris. Cui denique, ne longior sim, dixit dominus et redemptor noster, Oraui pro te Petre: seorsum scilicet ab alijs, ut orbem tibi seorsum ab alijs commissum, et omnes in orbe tibi in æternum commissos, regere, moderari, et confirmare possis. Et cum numerare discipulos uel ab initio inciperet; non ab Andrea seniore, nec ab alijs, sed a Petro incipiens, Petro uel ab initio primatum in æternum attribuit. Eo ipso qui attribuit præstante et regnante domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu sancto uiuit et regnat omnipotens in æterna sæcula seculorum. Amen.

De consensu et licentia Superiorum.

STATVA DIVI PAVLI A DEXTRIS DIVI PRINCIPIS ECCLESIÆ PETRI NON REMOVENDA:

NEC EORVM SANCTISSIMA capita conuertenda: ſed eodem loco, quo ſtatuit Eccleſia, conſeruanda.





Serpentum æneus olim,
animorum nunc vulnera curo.

BEATISS. D. N.
GREGORIO. XIII
PONT. SANCTISS.
M. ANTONIVS GEORGIVS
Bononienſis, Archipresbyter S. Mariæ Rotundæ, et Ciuis Aſſiſij
S. D.



EQVISITVS ab amicis, Beatiſſime Pater, bonus ne, an malus eſſet vſus; æquum, an præterquam deceret, aut iniquum; quòd ad Sanctiſſimi Principis Eccleſiæ dexteram, cum eius minui videretur auctoritas, poneretur electionis Apoſtolus: dixi, non modo id non eſſe malum, vel ſecus ac deceret, aut iniquum; ſed non niſi mirabiliter et ſanctiſſimi conſilij et myſterij cauſa et ratione ab Eccleſia inſtitutum: nec eius poſſe poteſtatem minui, dictũ cui fuiſſet ab eo qui eſt, Tu es Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: et cũ id nulli, vel ſi inter omnes omnia quęras, alij niſi Petro dictum; neceſſe eſſe, vel ſi omnium poſſint poteſtates, et imperia, nedum minui, verum etiam et deleri; nunquam tamen eius, cui ab

eo qui est, et cuius æterna præteriri verba non possint, dictum sit, vt diximus, Tu es: et propterea darentur ei claues in signum æternę potestatis. Alteri, qui non vocatus esset ad imperandum, sed ad prædicandum; daretur ensis in signum inflammatæ prædicationis: et idcirco in natiuitatis nocte benedicitur Ensis, in signum altissimi illius et ęterni nati verbi, quod omni ancipiti gladio penetrabilius, portaturus esset coram regibus, et principibus, et populis. Benedicitur et Pileus in quo inest significās columba, quod Spiritus sanctus ei semper assisteret. Ac tantum dixi etiam abesse, vt tantus Dei seruus, eius potestatem vnquām minuerit, quam fecit et instituit Deus, vt se ad eum etiā qui caput, et eos qui columnæ essent, et per reuelationem, mitis contulerit, et humilis; non quòd ei opus esset, vt disceret, qui talia didicisset in cælis et tanta, vt ne loqui ea quidem etiam liceret, sed ne à capite auulsus, et ab Ecclesia (cum nisi vnum caput, et vna Ecclesia esse possit) in vanum, vt etiam scribit, curreret, aut cucurrisset. Et iterum, Iacobus, et Cephas, et Ioannes dexteras dederunt societatis, vt nos in gentes, ipsi in Iudęā, vt Iudęam, quæ miraculis inhæreret, miraculis in quibus tam potens Petrus esset, illuminaret: Gentilum corda, qui sapientiam sequerentur magis, sapientia et gladio verbi Dei scindens Paulus & penetrans, inflammaret. Nec dextera igitur, nec sinistra ad potestatem, quæ minui non potest, pertinet minuendam, cum alter et à dextris, et à sinistris vocatus

sit

ſit ad imperandum, alter et à dextris et à ſiniſtris ad prædicandum. Non ad poteſtatem hoc, inquam, attinet minuendam, ſed ad eius, qui vocauit eum, diuinitatem et gloriam declarandam, quod non à ſuo ſit creatore vocatus, cum mortalis adhuc eſſet, et in terris, ſed vt diuus Thomas etiam ſcribit, glorificatus, et glorioſus in ſua maieſtate de cœlis: poſt glorioſiſſimam glorificationem, inquam, et triumphum tantum illum et gloriam, cum totum cœlum obuiam clamaret, Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus? Et, Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere diuinitatem, gloriam, et honorem. Et cũ magis illi tamen requirerent, cur non in alijs etiam locis ad dexterã poneretur et eccleſijs; non in alijs, dixi, ad dexteram ponitur locis et eccleſijs; quòd præſtet, et conducat interſitque magis, vt inter rudes et rerum imperitos, claræ proponantur res et apertæ, quàm myſteria tanta quæ poſſint, ſine tamen etiam oſtenſione, doceri. Angeli, vt conferam exemplum, cum de Dei verbo nato paſtoribus annuntiant, quòd rudes ſic adhuc eſſent et imperiti, vt noſſe uim tam excelſi nominis IESVS, et myſteria non poſſent, non annuntiant, Natus eſt vobis Ieſus, ſed vt intelligere poſſent, Natus eſt vobis Saluator. Ad Virginem vero, quæ plena Spiritu ſancto, cuncta myſteria noſcet, et vim tanti nominis, et gloriam, et arcana contemplaretur ſemper et adoraret; non neceſſe habet nuntius vt dicat, Vocabis eum Saluatorem, ſed Ieſum, cum optime ſciret illã

ſanctiſſima

ſanctiſſime ſcire, Ieſum ſignificare Saluatorem: ſic inter rudes, et myſteriorum imperitos, recte ponitur ad dexteram Petrus; ne imperiti et rudes, alterum pro altero putarent eſſe caput. Eccleſia vero, quæ plena et ipſa Spiritu ſancto ſemper, et vniuerſa nouit, et cuncta moderatur, et miſericorditer illuminat, et docet; cum Paulum ad dexteram per myſterium ponit, non ſui Principis poteſtatem, quam ſemper adorat, et nouit, minuit; ſed præter id quod dictum eſt, Gentilem populum, quem per laborem, et prædicationis incendio Paulus acquiſiuit, et ab idolorum fraudibus, et dolis, et errore reuocauit; oſtendit, quæ Catholica noſtra eſt, ab eo conuerſa Eccleſia: quę primum locum, et dignitatem obtinuit, et ad dexteram cum omnibus fidelibus, deſerente creatore ſynagogam, eſſe meruit. Quod declaratur etiam in Miſſa, cum euangelium portatur ad latus altaris dexterum, et in fine reportatur: ſignificans quòd in fine quæ ad ſiniſtram relictæ fuiſſent reliquiæ, ſaluæ fient. Declaratur et idem ab optimo patre illo, qui manus in benedicendis filijs, et brachia contrahens, et mutans in modum crucis, ſiniſtram maiori, qui ſibi eſſet ad dexteram, dexteram minori, quem ad ſiniſtram haberet, impoſuit: qui cum vehementius etiam ab ijs, quorum intereſſet, et putarent errorem, vrgeretur, vt ab errore reuocatus, dexteram maiori imponeret; Scio, ille inquit, quid facio: quod docet etiam mirabiliter, et oſtendit myſterium ſurreptę benedictionis. Prẹter autem hæc

ipſa

ipsa pauca, quæ commemorauimus, et adduci possent infinita, in plumbeis literarum etiam apostolicarum sigillis, et vetustissimo quidem more, ponitur ad dexteram electionis Apostolus. Nec ea causa tantùm ad dexteram ponitur, quòd sacros homines sacra dexteræ mysteria non lateant; sed ob id forsan etiam, vt tanti Apostoli labores, ærumnæ, pericula, insidiæ, in tanto acquirendo, et ab idolorum cultu reuocando, cui Petrus imperaret, populo; et tanti acquisiti et reuocati populi in Ecclesiam merita, donationes, beneficia tanta et obsequia clarius ostendantur, et magis appareant: nec Ecclesiæ bona ex Hebræo prouenisse populo, sed ex Gentili, quem labore, vt diximus, tanto ab idolis eripiens, et ad Dei veri cultum et religionem illuminans, Deo acquisierit, & Petro. Ad dexteram ponitur tantus etiam Dei seruus in præclarissima Lateranensi Diui Ioannis ecclesia: ecclesia autem mysteriorum ministra omnium, omnia demonstrans et docens arcana et sanctissima. Sed quòd altare spectet ad ecclesiam, non ponuntur sanctissima ipsa super altare capita; ne terga ad celebrantem; et ad celebrantem conuersa, vertere viderentur ad populum. Non super itaque, vt altare contingant; sed supra, et interuallo tanto semota consulto et separata, vt nec altare illa, nec ipsa altare conspicere possint: sed ad suum, quem amant, conuersa populum, in eum, et pro eo inuigilare, et suus ea populus adorare possit et venerari. Si in locis igitur quibusdam,

et

et myſterijs, vt tanta poſtulant et requirunt myſteria, et arcana, dat dexteram Paulo per myſterium Petrus; non ea quidem detrahenda, ſed glorificanda, non in quæſtionem adducenda, ſed adoranda: et ordo ſemper et modus ſanctiſſimæ matris Eccleſiæ catholicæ ſeruandus, nec ab ea, ne latum quidem vnguem diſcedendum: cùm vna omnium et lumē ſit et mater, et magiſtra, et felicitas, et gloria: et, vt docet idem etiam Paulus, fidei firmamentum, et columna. Columna autem et firmamentum tale ac tantum, vt contremiſcendum ſit potius, quàm de ijs audere aliter, ac ipſa dicat aut faciat, eloqui. Sed ne longior ſim in quibus minime decet: ſi moleſtus quis, aut contentioſus eſſe cupit, eundem Paulum legat: et de contentioſo quid dicat, inuenerit: et quid omnium moderator, et princeps, ſi veſtra Sanctitas acceſſerit. Vale.

Imprimatur.
F. Paulus Conſtabilis Sacri Palatij Magiſter.

R O M Æ,

Apud Hęredes Antonij Bladij Impreſſores Camerales.
Anno M. D. LXXIII.